

SACRA CONGREGATIO
DE RELIGIOSIS

I.S. 116/51

DECRETUM

Cum plurimis jam ab annis juvenes catholici, sub ductu ecclesiasticæ auctoritatis in Archidiœcesi Mediolanensi, ad efficaciorum apostulatum exercendum consilia evangelica votis firmata feliciter in sæculo vivere conati sint, horum cœtum Eminentissimus Dominus Cardinalis H. SCHUSTER, Ordinarius Mediolanensis, anno 1938, tanquam laicalem sectionem Oblatorum Sancti Caroli in piam erexit Unionem sub titulo “MILITES CHRISTI”.

Postquam vero Constitutio Apostolica “PROVIDA MATER ECCLESIA”, die 2 Februarii 1947, publici juris facta est, novam hanc juridicam formam status perfectionis apecti cupierunt sodales tanquam propriæ Associationi perfecte respondentem et, die prima mensis Maji anni 1952, pium Sodalitium Militum Christi legitime in Institutum Sæculare juris diocesani erectum est.

Præter evangelicam perfectionem in exercitio operum aut actionum quæ ex propria professione execere debent, sibi proponunt Milites societatem in qua vivunt ita spiritu christiano informare ut omnia bona humana in Christo finem proprium adipisci valeant.

Cum, labentibus annis, tum membra Instituti cum eorum apostolatus in dies crescant, petierunt Excellentissimi Ordinarii quorum interest sub ductu Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis, ut Institutum Militum Christi DECRETUM LAUDIS recipere valeret et ita ad gradum juris pontificii rite evehi.

Quapropter, omnibus mature perpensis, re a Consultoribus, a speciali Commissione et a plenario hujus Sacri Dicasterii Congressu discussa, approbante Sanctissimo Domino Nostro Paulo VI in Audentia diei 25 Septembris hujus anni 1963, hæc Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium præposita, Institutum Militum Christi Regis amplissimis verbis laudat atque commendat, juris pontificii declarat, ejusque constitutiones seu statuta prout in adnexo textu lingua italica redacto cujus authenticum exemplar in Archivio Sacræ ejusdem Congregationis asservatur, AD DECENNIUM adprobat.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romæ, die vigesima septima mensis Octobris anni 1963, in Festo Domini Nostri Jesu Christi Regis.

+ I. Card. Antoniutti